



HOUDRY
ORATIONES
PANEGYRICI

306

BX1757
H62
c.1

16



H. 2 part.



EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

e
ru
Te
ri

Núm. Clas. _____
Núm. Autor _____
Núm. Adg. 48181
Procedencia 6
Precio _____
Fecha 1- SET. 1980
Clasificó _____
Catalogó _____

R. P. VINCENTII
H O U D R Y
BIBLIOTHECA
CONCIONATORIA
C O A P L E C T E N S

PANEGYRICAS ORATIONES
SANCTORUM.

TOMUS PRIMUS,
IN QUO CONTINENTUR SANCTORUM,

De quibus in Novo Testamento sermo est,

P A N E G Y R I C I
E GALLICO SERMONE IN LATINUM TRANSLATI.
EDITIO NOVISSIMA.



UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Toliz

V I N E T I I S,
Ex Typographia HEREDIS NICOLAI PEZZANA.

M D C C L X I X.
SUPERIORUM PRINCIPALITATE.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
ALFONSO REYES

48181
45287

BX1757
H62



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ



Biblioteca de la Capilla Real de Alhambra

P R A E F A T I O .



Rationes Panegyricæ tertiam constituunt partem Bibliothecæ Concionatorum, ad quam aggrediendam me impulerunt duarum priorum exitus, & plausus, quibus illæ exceptæ fuerunt, quarum altera de Ethicæ Christianæ potissimis argumentis, altera vero de Mysteriis agebant. Inexcusabilis profecto fuisset temeritas mea si jam senio confectus novum, eumque diuturnum laborem fuisset ingressus, cum cogitationes, & curæ omnes transferendæ mihi sunt, ut me ad moriendum disponam, nisi in collectaneis meis, quæ ad hanc rem concessi ubi primum concionandi ministerium suscepi, rem nactus essem fere ad incudem elaboratam, & nisi alii me doctiores laboribus suis mihi opem tulissent, ut susceptum opus absolverem. Me tamen ad id alia adegit cogitatio, cum opus hoc in Concionatorum gratiam fuerit institutum, ut facilius arduum hoc munus exequantur, omnino aditendum esse, ne illud imperfectum relinqueretur, cum Panegyricæ orationes non minus necessariæ videantur, quam aliæ ad morum disciplinam spectantes. Cum enim in Adventu, Quadragesima, & reliquo anni cursu crebro adsint occasiones de Sanctorum laudibus sermonem habendi, non licet illi onus hoc detrectare, us saltem in Templis, quæ illis dicata sunt, & quorum illi sunt Titulares, atque Patroni; tunc enim avide populus Sanctorum expectat elogia, ut quemlibet alium sermonem fastidiat, ita ut, deficiente nonnunquam eo, cui panegyrica oratio erat habenda, maluerit potius omnino sermone carere, quam aliquem in aliud argumentum subrogare. Adde his, non deesse sacros quosdam Oratores, qui Epidictici tantum generis Orationes elucubrantur, quas habent veluti occasiones quasdam sese proferendi coram frequenti, delectaque Auditorum corona. Absit, quod de illorum intentione lævum proferam iudicium; verum mirum non est, si eos invenias, qui in hoc tantum eloquentiæ genere se exercent, ubi oratoris ingenium, atque facultas maxime nitent; & alios, qui hoc veluti gradu ad primos suggestus viam sibi faciunt. Dicam ne tandem, eorum plerosque, qui ex debito, vel officio ministerio suo inharrenti, huiusmodi orationes concinnare tenentur, eas respicere, ut ita dicam veluti malum necessarium, & tanquam onas, & aliquam suo muneri accessionem? Hi qui Verbi Dei ministerio sese devotent, prudenter, mea quidem sententia operantur, si statim, atque re adhuc integra sibi comparant Panegyricas Orationes, quæ sunt maxime necessaria, & ad quas comparandas primo indigent ingebii fervore, & vi, ut omnia cedant e sententia. Cum autem ea argumentorum rerumque supellex, quam ad id in hac tertiam parte sum allaturus, Concionatoribus nequaquam inutilis videatur futura, (cum saltem enixa ea cura, qua flagitatur, me in hanc spem impellat) reliquum est, ut modum aperiam eadem utendi, ordinem, methodumque a me institutam, ut illius usum commodiorem simul redderem, ac faciliorem.

Primum igitur, quoniam haberi omnino non potest sermo de Sanctis omnibus, qui numero carent, necessario eligendi fuerunt aliqui, de quibus vulgo Orationes Panegyricæ institui consueverunt, & qui in opere suscepto non erant prætereundi. Ideo illos in classes quatuor partiti sum, totidemque volumina, quorum hic Ordo est. Primum illis destinatum est Sanctis, quorum in Scripturis fit mentio: æquissimum enim est ab illis initium sumere, quos ipse Spiritus Sanctus censuit laudandos; ubi immorandum fuit etiam in præcipuis (ne tomi, qui fortasse nimis multi sunt, multiplicarentur) videlicet in illis, de quibus frequentius sermo haberi solet præ aliis, quorum dies festi in aliquibus tantum locis, Ecclesiis, vel civitatibus celebrantur. Secundum obtinent Ordinum Regularium institutores: quia de his vulgatus fieri solent Encomia in civitatibus, ubi commorantur cœnobitæ, qui ex eorum nomine appellantur, vel qui eorum Instituta sequuntur. Immo etiam horum multitudo nos impulit, ut vetustissimorum quorundam partem, eorum vero præsertim, qui in Galliarum regno minus agnoscuntur, prætermitterem. Tertius vero complectitur eos, qui sunt insigniores, quorum anno labente celebrari solent elogia, & qui neque ad primam, neque ad classem alteram spectant. Sed

Houdry, Paneg. Tom. I.

003578